

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Jephtha.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

stodes, clangamus propere. *M.* Gladius Jovæ & Gedeonis. *Jo.* Pæan. *G.* O Deum immortalē! quid video? e) Deus convertit ipsorum enses in ipsos: confodiunt sese mutuis vulneribus. *M.* Ut cadunt, crebri? jam bona pars interit, cæteri mandant se fugæ. *G.* Fugiunt, instate viri, urgete, consequimini, sectamini, ut e tanto numero nullus evadat.

## SENTENTIA.

*Christianum bellum (quod in Gedeonitico adumbratur) a voluntariis, non coactis, gerendum est: Et præstat esse paucos alacres; quam multos ignavos. Stulti duces milites numerant: sapientes ponderant.*

## JEPHTHA. Judicum II.

## ARGUMENTVM.

Jephthæ persuadent senatores Israclitarum, ut se militiæ ducem præbeat adversus Ammonitas.

*Senatores Israclitarum, Jephtha.*

**M**issi sumus ad te, Jephtha, ab Israclitis, ut a te postulemus, ut præbeas te nobis ducem ad gerendum bellum contra Ammonitas. Scimus enim, te esse eo corporis & animi robore præditum, eaque peritia belli, ut nemo hodie possit id præstare melius. *J.* Enimvero vos exegistis me domo paterna præ odio: cur nunc venitis ad me rebus adversis? Cur nunc potius retinivistis me, cum

e) Dei hostes intestinis discordiis pereunt.

cum non egeretis? S. a) Noli quæso, Jephtha, meminisse injuriæ. Si nos non recte fecimus, qui te expulerimus: tu recte facies, si maleficium pensabis beneficio, & innocentiam tuam magis commendabis. Quod si nobiscum profectus fueris, & debellaveris Ammonitas, constituemus te principem omnium Galaaditarum. Atque ita fiet, ubi tibi longe plus sit boni, quam quanta fuit injuria. I. Ergo si revocatis me ad debellandos Ammonitas, et Jova subegerit eos mihi, obtinebo principatum in vos. S. Contestamur Iovam nos esse facturos isto modo. I. Persuasili. Eamus.

## SENTENTIA.

*Præstantes viri, licet eis in præsentia non egeas, retineri debent in casus futuros.*

## RUTHA. Ruth. I.

## ARGUMENTVM.

Noemin ex Moabitica discedentem in Israeliticam terram, quamvis dissuadentem, comitatur præ ejus amore Rutha, ejus quondam nurus.

*Noemis, Rutha, & Orpha ejus nurus.*

**P**ostquam Deus cepit misericordiam sui populi (ut accepimus) eumque lavavit fame, quæ coegerat me & meum virum & liberos, confugere huc ad Moabitas, jam nihil est, quod velim diutius agere in regione aliena. Sed vobis, meæ

E 2

nurus

a) Injuria oblivisci deset.